Peremptoriae exceptions opponi valent quacunque parte litis, cum semper agentibus obsint: consulti autem, et rectius fore appetat eas in litis ingressu opponere, si nihil impediatur; peccantque haud dubie Advocati, et Litigantes, qui, cum sciant peremptoria exceptione se securos, sumptibus adversarium

TITULUS XXVI. 169

rium involvunt, deinde vero exceptione utuntur.

Quandoque exceptions Rei elidit Actor alii exceptionibus, quae dicuntur replicationes: his opponuntur duplicationes, et sic deinceps.

Iure Regio opponi, probarique debent exceptions dilatoriae intra novem dies à notificatione libelli ab Actore exhibiti computandos: et intra eodem fieri quoque debet contestatio. Peremptoriis tribuuntur viginti dies ab eodem tempore computandi. His terminis transactis non admittuntur, nisi iuramentum modo superius exposito praestetur, vel indulgetur in integrum restitutio. Nov. Rec. lib. 4. t. 5.

Quoad exceptionem excommunicationis, de qua in cap. 12. b. tit. videnda sunt cap. 1. eod. in 6. et un. in Clem. In primo continetur Constitutio Innocentii IV. in Concilio Lugdun. in qua, postquam asseruit regulam generalem de exceptione excommunications in qualibet parte litis opponenda ad remedium provissam, hominum sucrecente malitia, ad noxam tendere, statuit, ut qui eam opponat, speciem excommunicationis, et nomen excommunicatoris exprimeret cum onere probandi apertissimis documentis intra spatum octo dierum eo non computato, in quo proposita fuit. Si autem non probaverit, iudicem in causa procedere debere addidit Reum in expensis damundo. Si postmodum, instantia durante, de eadem excommunicatione, vel de alia excipiatur iterum, et probetur, Actorem in sequentibus excludendum ait, donec meruerit absolutionem, iis, quae praecesserunt nihilominus in suo robore duraturis. Saxon deinde ultra duas vires hanc exceptionem non opponendam, nisi nova excommunicatione emerserit, vel evidens, et prompta probatio supervenerit de antiqua. Haec autem firmata deinde sunt in praedicta Clementina.

TITULUS XXVI.

De Prescriptionibus.

Praescriptio generaliter sumpta idem importat quod exceptio in genere: unde veteres dicebant praescribere pro excipere, et in Digestis extat titulus de *Exceptionibus*, et *Præscriptionibus*. Si vero sumatur specialiter, exceptio est, qua ad excludendum Actorem utitur, qui contendit se tempore legibus definito rem litigiosam adquisuisse.

Requista prescriptio in specie, sive quantum modus est adquirendi dominium, expendi latissimè solent à iuri civili Interpretibus: nihilominus præcipua breviter percurram.

Ne dominia rerum in incerto sint, nevè negligentes domia in pernicie Reipublicas primum res suas deserant, deinde vero litibus, contentionibusque obscurissimis ansam præbeant, constitutum in iure fuit, ut qui bona fide, iusto simul adstante titulo rem alienam adquireret, eamque certo tempore possidéret, dominium eiusdem nancisceretur. Bona fides in eo consistit, quod existimaverit eum à quo rem quaevisit, dominum esse, aut alias eam in alium transferendi facultate gaudere. Iustus titulus dicitur quilibet modus, aut causa sufficiens ad dominium transferendum. Necessum etiam est, quod res, de qua agitur, acquisitioni subjecta sit; nam quae ab hominum commercio exemptae sunt, non magis hoc modo, quam alii adquiri possunt.

Distinguebant antiqui usucaptionem à præscriptione, diversosque unicuique tribuebant effectus: verum deinde sublata fuit haec differentia.

Agnovit Ecclesia præscriptionis utilitatem, unde Canonibus admissa fuit, licet nonnullis inductis varietatibus. Prima ea est quod, cum iure civili suffi-

ce-

ceret bona fides initio possessionis, iure canonum omni tempore requiratur; ad avertendum nempe periculum animae; quapropter apud nos utroque iure hoc servatur. Deinde fuit statutum, quod neque laicus, neque Ecclesia contra Ecclesiam minori præscriptione invenetur quam quadraginta annorum: et contra Romanam solum pro sit centenaria, cap. 13. et 14. b. tit. licet adiecta limitatio conspicatur in cap. 2. b. tit. in 6. circa bona haereticorum, qui, dum vivebant, Catholici putabantur: si enim post illorum mortem à Catholicis eorum filii, nepotibus, vel ab extraneis bona fide possideantur spatio quadraginta annorum, etiam ad Romanam pervenire deberent Ecclesiam, non sunt iam molestandi. Singularis est decisio, quae continetur in cap. 1. u. Episcopi ad vere religionis propagationem excitentur, depropriaque ex Concilio Africano, quod statuit, ut qui aliquem locum ad Catholicam unitatem converteret, possessione trienni præscriberet, si tamen praedito tempore in Ecclesia, quae repente poterat, Episcopus extisset, et tacuisset. Aliás autem computatur trienium, ex quo Episcopum illa Ecclesia habuerit. In 3. autem, quod Gelasii est, non Gregorii, sermo est de Ecclesia contra privatum præscribente. Statut. Innocentius III in cap. 11. exemptionem à procurationibus, quae debentur Legatis, et Nuntiis Apostolicis, nullius temporis præscriptione adquiri posse: in 12. autem noui admitti Monachis ab Episcopi iurisdictione sese eximere volentibus defensionem à præscriptione depropria.

Ex cap. 15. inferitur præscriptione adquiri posse ab Archidiacono ius visitandi, et ab Abbatte, de quo ibi sermo est, cognitione causarum matrimonialium: verum circa haec attendenda sunt, decreta Concilii Trident. de quibus etiam alibi mentio. Tandem notandum est caput 16. in quo statuitur exemptionem à procuratione, quae pro visitatione debetur, præ-

scriptione adquiri non posse , abrogatum fuisse à Concilio Trident. in sess. 24. de Reform. cap. 3.

Iure Regio statutum est , quod praescribi ullo temporis spatio nequeat exemptio à supraem iurisdictione , aut ab illis , quae ab hac iurisdictione dependent , qualia sunt tributorum , et vectigalium exactio , ius cogendi subditos armis in acie pugnare , aliaque huiusmodi , quae videri possunt apud iuris publici Scriptores . Deinde sanctum est , neminem in certo Oppido , aut Civitate adquirere posse absque privilegio Regio iurisdictionem civilem , et criminalem , quod et nos Señor appellamus , nisi possessio ne nitatur immemoriali , nunquamque interrupta Nov. Recop. lib. 4. tit. 15. Quanquam autem ratione probari debeat praedicta possessio exponitur in lib. 5. tit. 7. 1.

TITULUS XXVII.

De Sententia , et re iudicata

Postquam per tramites hucusque expositos devenitum est ad conclusionem in causa , quae plerunque fit ad petitionem Partium , nonnunquam officio iudicis , illud superest , ut , probationibus , allegacionibusque accurate expensis , iuxta ea , semota omni humana affectione , sententia feratur . Et quidem si ea sit de negotio principali , hoc est , si totam rem definit , vocatur definitiva , eaque propriè sententia est ; dum verò iudex de aliquo incidente pronuntiat inter pricipium , et finem causae , veluti si ad probandum Partes admittat haec pronuncia tio dicitur sententia interloquitoria . Haec rursus dividitur in eam , quae merè interloquitoria est , et vim definitivae habentem , aut eam , quae gravamen continet , quod nequit per definitivam reparari . Ex his patet præcipua differentia inter sententiam dif-

TITULUS XXVII. 173

finitivam , et interloquitoriam , quod nimurum illa totam rem perimat , minimè verò secunda . Hinc profluent aliae differentiae , quod scilicet sententiam interloquitoriam revocare ipse iudex possit , etiam tacite , non verò diffinitivam , cum quod prolationem sententiae functus sit iam iudex officio suo : deinde diffinitiva ferenda est in scriptis , tam iure canonico , quam civili , quanvis iuxta illud alter fuerit olim : servanda etiam est forma , quae stilo Tribunalis recepta est , circa diem , locum , alia que huiusmodi : denique diffinire quoque debet iudex accessoria , veluti fructuum restitutionem , et solutionem expensarum litis : in qua parte regula quidem generalis est victum vitori in expensas , damnandum , ob presumptionem , quae adest victum iniustam sustinuisse litem ; veruntamen , cum frequenter contingat , quod vito nulla objici temeritas queat , ex eo , quod intrincata admodum fuerint utriusque Partis argumenta , aequius est condemnationem hanc arbitrio iudicis relinquere .

Sunt præterea sententiae , quas dicuntur provisionales ; veluti dum questione mota circa alimenta iudex ea provisionaliter decernit , simul cum litis expensis , vel quantitate ad eas necessaria ; ne scilicet alimentarius fame interim laboret , aut ob expensas metum item deserat . Sanè haec sententiae comprehenduntur numero interloquitoriarum .

Quoties victus se existimat gravatum , appellare potest intra tempora statuta : si verò non efficiat , aut interjectam appellationem deserat , transit sententia in rem iudicatam , et nihil superest , quam ut mandetur executioni : unde non incongrue dicitur ius facere inter Partes , parique actionem iudicati Actori . Reo verò exceptionem , ita ut semper agentibus obsit , dummodo probetur identitas rei , causae , et personarum , sive verè , sive interpretativè ; nam neque retractari deinde potest prætextu-

instrumentorum , aut aliarum probationum , excepta causâ matrimoniali , quae propterea dicitur id speciale continerâ inter plura alia , ut sententia in ea lata nusquam transeat in rem iudicatam , quod probatur etiam , licet non ita plane , *capite 7. b. tit.* interea autem coniux innocens , cui neque negligencia in prosecutione Causae , neque quid aliud possit objici , rectè iure suo utitur ; de quo forsan latius agam in libro 4.

Sed non semper impeditur executio appellatione , cum nonnunquam admitti soleat tantum quoad effectum devolutivum , de quo in *tit seq.* et uno non obstante appellatione proceditur ad executionem , quae semper fieri debet à iudice , qui sententiam protulit , concessis victo certis induciis ad iudicati solutionem.

Quandoque ex eo impeditur executio , quod sententia dicatur nulla ; hoc autem quibus causis accidere possit , exponitur variis iuris canonici locis , quarum praecipua est , si lata fuerit absque cognitione causae ; item si adversus non citatum debitâ forma Iure Regio patet etiam recursus nullitatibus : verum , quoties fundatur in defectu aliquo apicum iuris , contemnitur ; cum leges de eo merito sint solicitae , quod unicuique suum reddatur inspecta veritate : sumptus autem ventur.

Notandum hic est *caput 3. b. tit.* de Presbiterorum depositione vulgo intelligi , cum ad causas spectet Episcoporum , eorundemque depositionem , ut appareat ex integra litera apud Gonzalez ; facultas autem de huiusmodi causis cognoscendi , quae in *cap. tribuitur Concilio Provinciali* , reservata fuit Rom. Sedi in Sinodo Trident.

Caput 11. intelligendum est iuxta ea , quae de compatriitate in *lib. 4.* adnotabimus.

Denique non possumus non animadvertere *caput 2. b. tit. in 6. et 2. in Clement.* in quorum primo

Innocentius IV. Imperatores certis ex causis depoñendi , subditosque à iuramento fidelitatis solvendi potestatem sibi tribuit , in secundo verò Clemens V. superiore se Imperatoribus , et Regibus in rebus temporalibus non obscurè asserit , mirari quemquam forte non debuisse tempore , quo lata fuerunt , et in quo , ut etiam alibi innuimus , potestas clavium etiam ad temporalia Regum saltem indirectè à nonnullis protendebatur ; nunc verò non minimum turbarent , si S. Pontifex principiis , quae in eis traduntur , inhaerere vellet. Hoc sane verendum non est ; nec facile ferri posset à Principibus Saecularibus , quorum potestas à Deo est , et in ipso solùm vindicat sibi , et iudicem , et Ultorem.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus , recusationibus , et relationibus.

Amplior sane est materia appellationum , quam ut comprehendendi queat limitibus , quos huiuscē Operis natura patitur : cum satis tamen obscura sit , et non exiguae utilitatis , si non ea , quae décret̄ diligentiā , saltē paulo fusori attingenda est.

Cuncta , quae circa appellationes scire oportet , reduci posse videntur ad haec tria membra ; à quibus sententias appellare licet ; quaenam observanda sint , tum in appellatione interponenda , tum in prosecutione eiusdem ; denique quinnam sint interpositae appellationis effectus.

Quod ad primum attinet notat rectè Van-Espenius part. 3. tit. 10. cap. 1. primis Ecclesiae saeculis raras admodum fuisse appellationes à sententiis Episcoporum , qui dirimabant contentiones inter fideles ortas , potius ut arbitri , quam ut Iudices. Sed neque iis , sive Clericis , sive Laicis , qui à suo Episco-

po excommunicationis, aut alia poenitentiā damnati fuisse, facile patebat recursus. Nihilominus iustis subditorum querellis non omnino erat in Ecclesia aditus interclusus; nam iuxta canones Nicaenos licebat ipsi ad Concilium Provinciale provocare; quod quidem species erat appellationis, verae tamen effectus non habebat, cum interim sententia minimè suspenderetur. Notissimae sunt Africanae Ecclesiae hac de re contentiones cum Romanis Pontificibus, praesertim in causa Apiani Presbiteri ab Episcopo suo Urbano iuste damnati. At canones Sardenses veram appellationem induxerint, vel potius propositionem querelae, et cause revisionem, hic non expandam; neque morabor in recensendis variis speciebus confugii ad Rom. Sedem, quo Episcopi, vel Presbiteri, aut inferiores, frequenter utebantur, quoties in quacunque Christiani Orbis parte fuissent à Conciliis damnati.

Postquam diversi gradus jurisdictionis inter Metropolitas, Primates, et Patriarchas inventi sunt, introducta conspicitur in foro Ecclesiastico infinita promedium appellandi, licentia; quae adeò crevit, ut in Decretalibus statuar passim iure canonico, ad differentiam civilis, appellari posse à quocunque gravamine, quanvis reparari valeat per sententiam definitivam: conspicitur id inter alia in cap. 11. et 12. b. tit. Iam vero facile quisque percipit quot incommoda oriri debuerint ex predicta fori Ecclesiastici praxi: unde moderamen ipsi fuit adhibitum in Concilio Trident. sess. 24. de Reform. cap. 20. ubi statuit appellatione solū admittendas à sententia definitiva, aut vim habente definitivae, et ab eo gravamine, quod reparari nequeat per appellationem à definitiva. Etiam ante Concilium Trid. exceptio erat in causis correctionis, et visitationis, tum Clericorum, tum Monachorum, in quibus appellationi locus non erat, nisi abusus, et excessus

argueretur; quod confirmatum fuit in Trident. Idem semper accidit in sententiis, quarum prolatione separari nequit ab executione, ut contingit in ex-communicatione.

Sum. Pontifices Concilio Trident. posteriores plura ediderunt decreta circa appellationes, ut occurrerent contentiobus, quae oriri solent inter iudices Ecclesiasticos. Memoratu digna praincipiū sunt quae statuit Clemens VIII. anno 1600. ope Sac. Congregationis Episcop. et Urbanus VIII. anno 1650. cum additionibus, et declarationibus Benedicti XIII. quae omnia referuntur in Appendice Concilii Rom. sub eodem celebrati anno 1725. Benedictus XIV. in Constit. *Ad Militantis* anno 1742. recensuit causas, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur. Circa appellationem in causis matrimonialibus extat eiusdem S. Pontificis Constitut. *Dei miseracione*. De appellatione ab ordinarii iudicio Ordinarii quoad praeficiendos Parochiali bus Ecclesiis Constitut. Cum illud. Circa praesentatos à Patronis, et appellationem interpositam ab uno posthabito Epistola eiusdem *Redditiae nobis* ad postulata Archiepiscopi Florentini. Videri haec omnia possunt simul cum plurimis declarationibus Congreg. Concil. in hanc rem apud Giraldi ad hunc tit. Illud vero est adnotandum in praedictis Constitutionibus, et Decretis plura contineri remedia adversus vim, quae inferri à iudicibus non semel solet, sive dum appellationes legitime interpositas responunt, sive dum impedit concurrit earundem prosecutionem: coeterum apud nos efficacius huic in commodo consultum est per recursum ad Regia Tribunalia, in quibus praecedente Actorum inspectione vis afferatur, Ecclesiastique iurisdictio mirum in modum iuvatur.

Secundum quod in hac materia insciendum diximus, comprehendit ea, quae observare oportet in

in appellationis interpositione, eiusdemque prosequitione.

Et quidem quoad interpositionem sciendum est eam procedere ab inferiori iudice ad superiore: cum enim eò tendat appellatio, ut gravamen ignorantiæ, aut malitiæ inferioris illatum auferatur; ipsa res docet officium superioris ad id esse implorandum; nam par in parem iurisdictionem non habet, multoque minus inferior in superiorem. A Delegato iudice appellandum est ad Delegantem; unde quaestio oriri potest circa negotia, in quibus cognoscunt Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegati, quod valde frequens est post Concilium Tridentinum: sanè in iis omniibus ea fuisse videtur Concilii mens, ut in illis Episcoporum iurisdictionem agnoscet, aut saltē restitueret, licet duas potestates, et ordinariam, et delegatam, cumulaverit, ut ita dissidiis obviam iret, quea forsan verebatur aliter oritura: proinde dubitandum non esse reor appellations in huiusmodi causis ad Metropolitanos esse interponendas. De Vicariis Episcoporum diximus in lib. r. Deinde interponi debet appellatio gradatim, hoc est, ab Episcopo ad Metropolitanum, et sic deinceps ad immediatos superiores non omissio medio, ne iurisdictiones Ecclesiasticae turbentur, quod propterea et à Sinodo Trident. sess. 22. de Ref. cap. 7. et apud nos Decretis Regii strictè praecipitur. Quin etiam in Ordinibus Regularibus observandum est, et à Praelato locali appellandum ad Provinciale, ab hoc ad Generalem, deinde ad Congregationem Episcop. et Regularium, tandem ad Sedem Apost. ut continetur in Constitut. Inocentii XII. quae incipit Christi filium, et in Constitut. Quantum Benedicti XIV.

Excipitur à regula generali appellatio ad Romi Pontificem, quae interponi potest à quoquaque inferiori; et tunc dirimir quæstio vel in Romana Cū-

ria

ria, vel per iudices in partibus iuxta cuiusque Regni consuetudines, et inita Concordata. Apud nos commodius consultum est, et uberior damnis, quæriebantur ex eo quod apud Romanam Curiam finis litibus esset imponendus, aut postulandi iudices in partibus, per erectionem Tribunalis Rotae Hispanicae, quæ non minimum erit eximii Regis nostri erga suos subditos amoris pignus: nam eius ope neque cause extra Regnum trahuntur, neque coguntur litigantes magnis impensis, aliisque incommodis, ad Romanam Curiam recurrere, sed in praedicto Tribunalis agitant coram diversis, qui in eo gradatim constituti sunt, Iudicium turnis, donec tres sententias conformes iuxta Canonici juris placita altera Partium obtinuerit, illis etiam eo numero recensitis, quæ prolatæ fuerant ab Ordinario, et Metropolitanó; illibata enim in omnibus mansit horum iurisdictionis, neque eò minus gradatim, successivè procedendum in appellacionibus quibuscumque, sicut Tridentina Sinodus, novissimaque omnia Regia Decreta optaverunt.

Tempus, intra quod interponi debet appellatio coram iudice à quo, est decem dierum in foro Ecclesiastico, quinque autem in saeculari. Sed et interponenda est in scriptis, nisi viva voce statim appetetur; in quo standum est stilo cuiusque Curiae. Appellationem admittit Index vel quoad utrumque effectum, vel solum quoad devolutivum; si nimis eam frustratoriam existimet, vel id exigat natura cause, uti diximus de visitatione, et correctione. Quinam sit effectus suspensus sati indicat ipsum nomen: devolutivus tantum tunc dicitur, quando devolutivus quidem causa ad Superiorem, minime autem impeditur interim executio.

Requiruntur etiam de iure litteræ dimissoriales, quæ vulgo vocantur Apostoli à verbo graeco. Earum tres assignantur species; dimissoriales in specie, quae

Tom. I.

Y tes

testificantur appellationem coram Iudice à quo legitimi fuisse interpositam, et admissam: reverentiales, in quibus notum fit appellationem non ob iustitiam causae fuisse admissam, sed ob reverentiam impensam Iudici ad quem: denique refutatoria, ex quibus patet rejectam omnino appellationem.

Notandum hic venit decretum Concilii Trident. in sess. 24. de Reform. cap. 20. in quo statuitur, quod appellans transferre debeat Acta suis sumptibus ad Tribunal Iudicis ad quem; requisito tamen prius Iudice à quo, ut, si videbitur ei, significet Iudici ad quem quae ad sui instructionem iudicaverit necessaria. Deinde adiungit quod appellatus quoque, si compareat, cogatur proportione sua subire expensas praedictae translationis, nisi aliud habeat stulus Curiae. Denique, quod Notarius adiugator quantum citius copiam Actorum tribuere acceptā congruā mercede.

Finiri secunda instantia debet intra annum, quavis ex causa ad bienium protrahi valeat: sed Iudex à quo restringere potest hunc terminum adstante causa: unde emergit vulgaris distinctio termini iuris, et hominis. Quicunque tamen sit, sinendum non est praeterlabi. Concilium Trid. in praed. sess. 24. de Reform. cap. 20. haec habet: *Causae omnes::: omnino saltēm intra biennium à die motae litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit Partibus, vel alteri illarum, Iudices superiores, aliis autem competentes adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminari carent: nec antea aliis committantur, nec avocentur.*

Et quidem haec sunt generalia principia circa appellationis interpositionem, et prosecutionem: consulendi verò studiosè sunt cuiusque Regionis, et Curiae mores.

Primarius effectus appellationis est suspendere iurisdictionem Iudicis à quo: quapropter, si quidem

quam molliatur postquam ipsi, et Partibus fuerit intitulatum, revocandum est velut attentatum: quod procedit etiamsi frivola dicatur appellatio, dummodo delatum ipsi fuerit, et agatur de sententia definitiva, post cuius prolationem functus iam Index est officio suo: cum tamen non aequo hoc accidat in interloquitoria, ideo requiritur Iudicis superioris inhibitus, ut gesta à Iudice à quo post appellationem interjectam attentata dicantur.

Meminit in hoc tit. S. Raimundus relationum, sive consultationum, quae fiant à Iudicibus inferioribus. Harum frequens usus in iure civili apud veteres: sublatus autem fuit à Justiniano in *Novel.* 125. Admititur in cap. 68. b. tit. ita tamen, ut Index consultationem apud Acta edere Partibus teneatur, earumque refutations adiungere. De his ne plura. Satius erit animadvertere præter ordinarias appellations receptam esse legibus, moribusque nostris aliam specialem, vel potius recursum, cuius ope tollitur abusus Ecclesiasticae potestatis implorata. Principis, aut supremorum Tribunalium protectione. Instituti ratio non patitur, quod casus, in quibus locum hic recursus habet, aut forma interponendi expenduntur: consuli hac de re poterunt eximiri jurisconsulti nostri; præcipue autem *Salgadus de Regia protectione*, apud quem facile quisque disset nihil in iis libertati Ecclesiasticae inimicum, nihil disciplinae adversum reperi.

Postrema tituli pars est de Recusatione, quae etiam suspendit Iudicis potestatem. Regulariter interponitur initio litis per libellum, in quo iure canonico exprimendae sunt causee suspicionis; de eisq[ue] cognoscunt Iudices specialiter ad id electi. Recusari valet Iudex tam Ordinarius, quam delegatus: item Assessor, Grafarius, et similes; et hi quidem ex levioribus causis. Iure Regio necessum non est exprimere causas suspicionis in recusatione

Iudicis Ordinarii, Assessoris, aut Grafiarii. Deinde minimè suspenditur potestas Iudicis ob recusationem, sed eidem aliis adiungitur: et idem accidit in Grafario. Ne malitiosis Assessorum recusationibus lites nimium protrahantur, statuit Religiosissimus Rex noster Carolus III. anno 1766, ut generales Assessorum recusationes neutiquam deinceps licent, quantumvis protestetur recusans se in eum consensurum, quem Supremi Senatus Praeses, aut alii superiores Iudices nominaverint: ea tantum protestate litigantibus concessa, ut tres quisque Assessores vaelat recusare.

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus.

Peregrinantes hoc loco appellantur, qui appellationis, aut defensionis causa iter Romanum arripiunt, ut sese ad S. Pontificem conferant: statuturque, ut, si eo tempore quidquam ipsis subtractum fuerit, Episcopi restitu faciant appellatione remota: quod Laicos aequè comprehendit, licet S. Raimundus tituli Rubricam de solis Clericis conceperit, eo deceptus, quod in casu cap. un. b. tit. quaestio esset de Presbitero, nam alias generalis est regula quae in eo statuitur. Apud nos locus ei esse nequit, ut proponitur, sicuti neque ampliationibus, quas accepit in Bulla *In Coena Domini*.

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

Si S. Pontifex causam ad se avocet (in his nimirum Regnis, in quibus consuetudine, legibus, aut concordatis aliud, ut in nostris, non viget) vel latam sententiam confirmet, aut privilegium concedat, nihil contra haec attentare valent inferiores; sed plenum obtinebunt robur, et firmitatem, nisi subreptio, aut obreptio impediatur.

FINIS LIBRI SECUNDI, ET TOMI PRIMI.

